



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Apotheca Spiritvalivm Pharmacorvm Contra Lvem
Contagiosam Aliosqve Morbos**

Wichmans, Augustin

Antverpiae, 1626

Cap. XLVII. Appendix praecedentis capitis de V. Theodoro Monasterensi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9653

Lotrechium, militibus soluendis. Quam ob rem non ita
multò pōst geminā traiectus glande ab equis protritus
spoliatusque vix ut agnosceretur, inuentus est. Sed A-
quilani postmodum Tutelari suo nouam reposuerunt 14.
millibus aureorum.

C A P . X L V I I .

*Appendix praecedentis capituli de Venerabili
Theodoro Monasteriensi.*

Non possum pro tam commoda oportunitate hīc
intermittere, quæ de Ven. Theodoro Monaste-
riensi Franciscano ex speculo vitæ P. Cornelij
Tielmanni narrat noster Dion. Mutzaert in Historia sua
Belgica. Cum anno 1489. contagiosa lues omnes Pasto-
res Bruxellæ absumpsiisset, nec esset qui parvulis panem
vitæ perentibus frangeret, religiosus hic Pater Theodo-
rus Ordinis Minorum, magno incitatus Christianæ ca-
ritatis zelo cùm videret quotidie plurimos sine Sacra-
mentorū administratione ex hac vita absenti obsequium
suum obtulit, licentiamque petiuit & obtinuit à superiorib;
ribus quatenus peste infectis adfistere & Sacramenta
administrare posset. Ne verò Monasterium proprium in-
ficeret, tentorium foro medio erexit in eoq; altare por-
tatile collocavit reponendo Ven. Sacramento quo magis
diu noctuq; ad omnem necessitatem esset paratus. tam
suburbana loca omnia quām urbana visitabat diligentissimè,
ut egrorum confessiones audiret & salutari viatico
decedentes præmuniret. Contigit ministrū eius qui nolā

Hist. succe-
Eccles.
Belg. an:
1489.

8c

& lucernam præferre consueuerat, eadem lue infici & defungi: cumque neminem posset inducere, qui defuncti officium suppleret, ecce lucernam è fune suo quo ex Ordinis prescripto cinctus erat, suspedit, dextrâ gestâs Ven. Sacramentum, & sinistrâ nolam pulsans ut hoc signo ab alijs posset audiri & precaueri. Pulcrum sanè spectaculū, Deo & angelis gratissimū, atque ab ardenti caritate profiscens. Hieme verò appropinquante cum jā pluvię ingruerent, & venti vnde quaque tentorium eius concutirent, ut vix lumen in eo asseruare posset, coctor quidam ceruisiae misericordiâ motus cubiculum ei in domo sua concessit. nec immune fuit misericordiæ hoc opus, Deo illud amplâ mercede remunerante. alijs omnibus dominibus in quibus ceruisia coqui solebat peste infectis adeoque à coquendo prohibitis, sola huius boni viri domus mansit à contagione intacta, concurrentibus vnde quaque ad eandem pro ceruisia emenda, ditantibusque venditorē. immò experientia verissima deprehensum fuit quotquot ex ea ceruisia gustassent à peste fuisse sanatos, incolumes autem veluti salutari antidoto præseruatos ab eadem. adeò vera est Dominica illa promissio: *Qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet.* nam, *Qui recipit vos, me recipit, & qui me recipit, recipit eum qui me misit.* Durauit verò prædicta lues integro biennio absumpsitq; triginta tria millia hominum, quibus omnibus, solūmodo mille exceptis, prædictus pater Theodorus Sacra menta solus administrait quodque magis mireris & eundem non parum commēdat, diuinâ reuelatione didicit & sincerâ fide alijs postmodum narrauit, ex prædictis triginta duobus millibus, duos tantummodo fuisse damnatos inferno. Alterum quidem qui desperabundus de diuina misericordia, alterum verò qui sine confessione Sacramentali, ad quam se disponere nolebat, obierat. Res profectò dignis-

Matt. 10.

dignissima quæ publicis scriptis ad omnes posteros , pa-
rochos præcipue similesque quibus animarum cura ex
officio demandata est , in exemplum magnæ caritatis,&
inauditi pænè zeli deriuetur. Neque prorsus incredibile
videri debet aut paradoxum, quod de copioso illo nume-
ro saluatorum h̄ic narratur. Omnia enim apprehensio
est & passim videmus, contagione grassante homines se
maxime ad salutarem mortem per bona opera dispone-
re, ac quam plurimos integris sensibus s̄pē mori, qui vi-
dentes se ab hominibus desertos, ad Deū se ex toto cor-
de conuertunt , atque in eius manus spiritum suum
commendant ; ut vel idē putem , pestem, donum Dei,
seu morbum salutiferum, vulgo Flandricē, *De saligheydt*,
passim nominari : quamuis & facile crediderim maiores
nostros eam sic appellasse mitiori vocabulo , ne auditio
horribili illo nomine pestis, subito alterati horrore aliquo
perterritarentur. Obiit autem Vener. Theodorus Mona-
steriensis Bruxellæ , non sine opinione sanctitatis anno
1515. cuius etiamnum venerandi capitis effigies, ibidem
in ambitu seu claustro Monasterij eleuata conspicitur:
corpus vero in Conuentu Louaniensi asseruatur. Faxit
Deus ut in omnibus animarum curatoribus spiritus eius
sit duplex , exhibeatque vicissim eis subditi humanita-
tis officium in tali necessitate constitutis , quod hic co-
etor ceruisiæ Vener. Theodoro exhibuit , certi se mer-
cede suâ non frustratum iri. *Animaduero*, dicebat Suna-
mitis ad maritum suum , quod vir Dei , (Elisœus nempe)
sanctus est iste qui transi per nos frequenter. Faciamus ergo ei cæ-
naculum paruum & ponamus ei in eo lectulum , & mensam &
sellam & candelabrum, ut cum venerit ad nos, maneat ibi. Bonū
dictum: at quæ illius merces ? Diues erat & nullius indi-
ga, sed sterilis à diebus juuentutis suæ , & vir eius senex.
Dixit ad eam Elisœus : In tempore isto & in hac eadem
ho.

4. Reg 4.

„ hora , si vita comes fuerit , habebis in vtero filium .
 Et concepit mulier & peperit filium in tempore , & in
 hora eadem qua dixerat Eliseus . Veritas nempe est quæ
 Matt. 10. dixit : *Quicumq; potum dederit uni ex minimis istis calicem a-*
qua frigidæ tantum in nomine discipuli , amen dico vobis non per-
det mercedem suam.

C A P. XLVIII.

De S. Catharina Senensi.

ETiam feminas ac Virgines Deo sacratas admittit
 hæc Curia Tutelaris , neque h̄ic locum habet , an-
 tiqui temporis in hac sacra Repub. dudū antiqua-
 tum decretum : In Senatum feminæ non admittantur . Ius
 illæ h̄ic prætendunt & habent , quia Præses Virgo virginū
 est , cui aliquot sacras Assistrices h̄ic sub & adiungam .
 Prima occurrit æternum Italiam decus , & Dōminicani
 Ordinis perenne ornamentum S. Catharina Senensis ,
 cuius heroicis & supra muliebrem sexum præclaris vir-
 tutibus commemorandis diutiùs non immemor . Solo
 eius audito nomine , veluti ex vngue leo , satis cognoscū-
 tur . Ad rem nostram sequentia hæc pertinent . Anno sa-
 lutis 1374 . plus minus , cùm pestis inguinaria Senas vasta-
 ret , accidit ut virum Ven. Matthæum nomine , qui domui
 S. Mariæ de misericordia præterat , ea pestis corriperet .
 Id ut primùm ad sanctam Virginem perlatum est , festina
 ad illum accessit , & prius quam ad eum appropinquaret ,
 eminus clamare cœpit : Surge Domine Matthæe , surge ,
 non est jam tempus molliter in lecto cubandi . Vix illa
 verba compleuerat , & momento temporis pestis & apo-
 stema

B. Rai-
mun. in
vita San-
ctæ , & ex
eo Sur.
29. Apr.